



# Disputatio juridica inauguralis de testamentis

<https://hdl.handle.net/1874/347244>

31.

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS  
DE  
**TESTAMENTIS,**

*Q V A M,*

FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

*Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

**D. HERMANNI van HALEN,**

S.S. Theologiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ  
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii, Verbique Divini ibidem in  
Ecclesiâ Praeconis,

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academicî consensu, Nobilissimæque  
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

**PROGRADU DOCTORATUS**  
Summisque in UTROQUE JURE honoribus & Privilegiis  
ritè & legitimè consequendis,

*Eruditorum examini subjicit  
HENRICUS MEYER, AMSTELODAM.*

*A. D. 15. Augusti, hora locoque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

---

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, cīc Ioc Lxxxix.

*Fide Virtuteque Pollenti VIRO,*

**H E N R I C O M E Y E R,**

Parenti meo omni sinceritate reverendo.

**C O N R A D O M E Y E R,**

Studioso Vigilantissimo arti Medicæ addicto, Fratri meo unico Charissimoque.

NEC NON

*Nobilissimo Spectatissimo Consultissimo Viro,*

**D. ABRAHAMO FABRO, J. U. D.**

Ejusdemque facultatis in illustri Amstelodamenium Athenæo Professori Clarissimo ac Vigilantissimo Studiorum meorum Promotori indefesso.

*Hasce Theses Inaugurales de  
materia Testamentorum,*

D. D. D.

**HERICUS MEYER, JUN.**

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS  
DE  
TESTAMENTIS.

THEISIS I.



Nter modos acquirendi Dominii de Jure Civili per universitatem potissimum referuntur hereditas §. ult. Inst. de usu habit. §. ult. Inst. P. Q. P. C. A. Quæ est successio in universum jus quod defunctus tempore mortis habuit l. 24. de verb. signif. l. 62. de R. f. Dico in universum jus: quia transiunt in heredem omnia jura defuncti tam activa, quam passiva. Unde & heres una eademque persona cum defuncto singitur. Defertur autem Hereditas aut Testamento aut lege, ab intestato. d. §. fin. Inst. P. Q. P. C. A. Testamentariæ ratio potior & prior est habenda, quam legi: imx l. 89. de R. f. l. 1. D. unde liberi. Quia provisio hominis tollit provisionem legis: & eo mortuo pro lege servatur. Nov. 22. Cap. I.

I I.

Testamentum autem est testatio mentis (non ex verbis, sed ex re) pr. Inst. de Test. ord. & definitur justa voluntatis nostræ sententia de eo quod quis post mortem suam fieri velit, continens directionem heredis institutionem. l. 1. D. qui Test. fac. poss. §. 2. Inst. de Cod. & l. 14. C. de Test. Dicitur justa: scil. quæ secundum regulas Juris Civilis sit conformata. Dico Juris Civilis, quia licet dispositio morituris permissa de rebus suis, ex jure naturali proficiuntur, tamen ut non liceat aliter quam hoc vel illo modo, ex Jure Civili obtinet. Ut & modus & forma specialis testandi & effectus, seu jus inde proveniens est proprium cujusque civitatis.

I I I.

Dicitur voluntatis nostræ: intellige liberæ, non vi, metu & instigationibus elicite, qualis est etiam captatoria; Nam ultima

A 2 volun-

#### 4 DISPUTATIO JURIDICA

voluntas ex alterius nutu & arbitrio non debet dependere. *I. 4. D. de inoff. Test. l. 32. & 70. D. de Hered. Inst.* Unde patet quid sentiendum de istorum opinione qui defendunt Testamenta ad instantiam & interrogationem aliorum condita, aut quibus causam dederit delinimenta & blanditiae aliorum, valida esse. *Perez. C. si quis aliq. Test. prohib. n. 2.*

#### I V.

Omissis speciebus Testamenti abrogatis de quibus §. 1. *Inst. de Test. ord.* scil. Calatis Comitis, in procinctu & quæ per æs & libram siebant, dividemus Testamenta ex Jure novo, id est Civili, prætorio & constitutionibus coniuncto in publicum (quod publica fide ordinatur. *I. 19. C. de Test. de quibus inf. Th. XII. infin.* & privatum (cujus fides est privata ex testibus & scriptura. *d. I. 19. C. de Test. & Don. in l. 21. n. 2. & 3. C. eod.*) Hoc rursum est commune vel privilegium militare & paganum: Commune non nisi certis solennitatibus adhibitis; Privilegium vel omnibus vel quibusdam omissis fieri potest. Utrumque rursum est vel scriptum vel nuncupativum. § 3. & fin. *Inst. de Test. ord. & l. 21. §. 2. C. de Test.*

#### V.

Ut Testamentum rectè fiat, tria potissimum consideranda. (1.) Persona testantis. (2.) Modus & forma testandi. (3.) Res quas Testamentum continere debet. *I. 4. D. qui Test. fac. poss.* Persona debet esse talis, quæ habeat Testamenti factionem aetivam *I. 3. 4. 12. D. qui Test. fac. poss.* id est quæ non prohibeatur Testamentum facere. Inter quas præcipue filius fam. cui (præterquam de bonis Castrenisibus & quasi Castrenisibus) non licet Testamentum facere de adventitiis, ne illis quidem, quorum pater usumfructum non habet *I. ult. §. 5. de bon. quælib.* Quamvis parente permittente. *I. 3. D. qui Test. fac. poss.* Licet inter vivos de iis disponendi liberam facultatem habeat, modo major sit xxv annis. Per *Nov. 117. Cap. 1. §. 1.*

#### V I.

Inter prohibitos etiam sunt prodigi post interdictionem bonorum. §. 2. *Inst. quib. non est perm. Test. fac.* Quod tamen aliqui limitant: Nisi Testamento prospexerint iis, quibus consulere debent, uti si instituerint eos, qui ab intestato iis succedere debent per *Nov. Leon. 39.* cui addendus *Sand. lib. 4. Tit. 1. def. 3.* Porro inter prohibitos de Jure Civili erant etiam ad mortem damnati. *Quod tam-*

men-

## I N A U G U R A L I S. §

men hodie aliter se habet, nisi publicatio bonorum damnationem sequatur. *Nov. 22. cap. 1. autb.* sed hodie *C. de don. inter vir. & uxor. Wefemb. in parat. ff. qui Test. fac. poss n. 13.*

### V I I.

Testandi forma & modus consistit præcipue in solennitate observanda tam in scripto, quam nuncupativo Testamento. Quod refertur testium habilitas, eorum numerus, convocatio & rogatio, subscriptio & sublignatio: Et unicus tandem contextus. Testes habiles sunt cum quibus est Testamenti factio § 6. *Inst. de Test. ord. scil. tempore conditi aut signati Testamenti.* Quo etiam inhabilitas putativa unius ex testibus non obstat. *Bronch. Cent. 2. M. Q. 15. l. 22. §. 1. D. qui Test. fac. poss.* Sed addendum priori assertioni, nisi natura aut lege prohibeantur qui & d. § 6. enumerantur. Inter quos præcipue mentio fit mulieris l. 20. §. 6. d. *Tu.* quæ tamen testis potest esse in Codicillis & Testamentis militum, aliisque privilegiatis. *inf. Tb. XII.*

### V I I I.

In genere testes habiles non sunt, quos lex intestabiles esse jubet l. 20. §. 5. *D. qui Test. fac. poss.* In quorundam autem Testamentis adhiberi nequeunt qui in aliorum non prohibentur. v. g. Heres institutus ejusve pater quique in ejusdem patris sunt potestate. Sic & fideicommissarius universalis, quia heredis loco est. §. 3. *de fideic.* *Heredit.* Pater in Testamento filii, nisi ante missionem de Castrensi peculio. §. 9. *Instit. de Test.* Legatarii vero & fideicommissarii à testimonio non arcentur: Quia non de sua sed heredis causa testantur & plerumque liberalitatis sunt ignari §. 11. *Instit. b. iit.* ubi & alia ratio redditur.

### I X.

De Jure Civili & prætorio testes Septem præcise requiruntur adeo ut, si unius saltē defecerit totum vitietur Testamentum. *l. 12. C. de Test.* Statuto tamen & consuetudine loci minor numerus induci potest *Mysing. 5. Obj. 20.* ubi, hoc non obstante, obiter notandum, quod Testamentum secundum solennitatem unius loci factum valeat alibi quoque *Perez. C. de Test. n. 21.* nisi de bonis aliquod statutum singulare factum. *Gail. 2. Obj. 123. Sand. lib. 4. tit. 1. Def. 14.* Porro rogatos oportet esse testes etiam ubi alia de causa præsentes adlunt. *d. l. 21. §. 2. D. qui test. fac.* ac demum coram iis animo præsentibus, & Testatorem oculis videntibus testatio uno contextu, nullo extraneo actu interveniente fieri debet. *l. 28. & 21. C. de Test.*

## DISPUTATIO JURIDICA

### X.

Ad scriptum Testamentum tandem subscriptio testatoris requiriatur vel ejus loco octavi Testis; tum & testium subscriptio & subsignatio, quæ potest etiam fieri uno annulo vel alio instrumento, sigilli loco usurpato. §. 5. *Inst. de Test. ord. l. 29. C. de Test. l. 4. D. Testam. quemadm. aper. Don. 6. Comment. 8.* ut vero nomen heredis per manus Testatoris vel testium exprimatur, remissum est. *Nov. 119. Cap. 9.*

### X I.

Nuncupativum Testamentum easdem præter scripturam solennitates requirit modo ab initio ore pronuncietur, & redactum in scripturam & in mundum Testatori denuò prælegatur *Sand.* specialem casum de Testamento matris nuncupativo coram quatuor testibus proponit *lib. 4 tit. 1. Def. 7.* sed hoc extra metas nostras. Adde ad probationem nostræ Thesis §. ult. *Inst. de Test. ord. l. 21. § pen. D. qui Test. fac poss. & l. 21. § pen. C. de Testam.*

### X I I.

Privilegiata Testamenta appellamus, quæ etiam remissis aut omissis superioribus solennitatibus facta rata habentur v. g. præter militare, de quo *inf. Th XXIV.* (1.) Testamenta inter rusticos in quibus etiam quinque testes sufficiunt. *l. fin. C. de Test.* (2.) Parentum inter liberos, ubi etiam nulli testes desiderantur *l. 21. § fin. C. de Test.* si modo eorum scriptura vel subscriptio exhibeatur. *Carpz. p. 3. c. 4. def. 17. & seq. adde Nov. 107. c. 1.* Quod si in eadem dispositione extraneis quicquam relictum est non valet *l. ult. C. fam. excise.* (3.) Testamenta tempore pestis facta de quibus *Berlich. 3. concl. 8. n. 53.* adde *l. 8. C. de Test.* (4.) Testamenta ad pias causas *cap. 11. de Test.* adde *Carpz. p. 3. c. 4. def. 33.* (5.) Testamenta coram Principe facta (6.) ea quæ actis insinuantur. *l. 19. C. de Test. & l. 13. C. de donat.*

### X I I I.

Res quam Testamentum principaliter continere debet est institutio heredis caput & fundamentum ejusdem. §. 34. *Inst. de legat.* quæ vel est directa vel fideicommissaria (de qua tamen alibi) vel est necessaria, vel arbitraria, vel pura vel conditionalis, vel primo aut secundo vel ulteriori gradu.

### X I V.

Necessario autem aut heredes instituere aut nominatim exhedere debent parentes liberos in potestate qui sunt. *pr. Inst. de exhered. lib.*

*lib. l. 30. de lib. & posth.*, adeò, ut si prætereant eos, Testamentum ipso jure nullum sit nec legata nec alia disposita in Testamento quicquam valeant *l. 16. ff. de inj. rupt. Gail. 2. observ. 113.* Hic occurrit quod nec posthumi quidem debeant præteriri, quia iis natis Testamentum ipso jure rumpitur *l. 1. C. de posth. hered. Insti.* Quod de posthumis sive respectu mortis testatoris, sive respectu Testamenti facti sive veris & suis, sive ex lege Julia Velleja etiam quasi posthumis est intelligendum *§. 2. Inst. de exhered. & l. 29. D. de lib & posth.*

## X V.

Præteritio tamen materna & cæterorum qui non habent in potestate liberos exheredationi æquiparatur & Testamentum ipso jure non facit nullum, sed per querelam inofficiosi Testamenti est evanquandum quod fit respectu solius institutionis reliquis capitulis salvis *§. ult. Inst. de exhered. lib. Nov. 115. cap. 3. & 5. & hæc de jure Civili:* Quia prætorio jure sustinetur Testamentum patris, in quo præteriti liberi sui si post mortem patris ab hereditate abstinuerint, modo septem-testium signis fuerit signatum, tunc enim ex bono & æquo scriptus heres admittitur *l. 17. D. de inj. rupt. & l. 2. D. de bon. possess. sec. Tab.* Si vero emancipatus à patre præteritus prætor ei concedit possessionem bonorum contra Tabulas *l. 8. §. ult. ff. de bon. poss. contra Tab. l. 4. C. de lib. præter.*

## X V I.

Etsi liberi inpotestate existentes proximo gradu sui in jure civili dicti vivis parentibus quodammodo domini sint rerum paternarum *§. 2. Inst. de Hered. q. & diff. juncto §. 2. de Heredit. ab Intest.* Attamen non obstante hac suitate jure patriæ potestatis exheredari possunt ingratii *l. 11. D. de lib. & posth.* Sed exheredatio tunc demum valet si ex justa quadam causa nominatim & expressa vel alicui expressarum simili fiat *Nov. 115. c. 3. adde Gail. 2. observ. 95. n. 17.* Obiter tamen nota exheredationem a patre fieri posse etiam bona mente & provisione magis quam odio futuri heredis, eamque in usu esse præjudicio probat. *Sand. lib. 4. Tit. 2. Def. 3.* & sicut præteritio interdum pro exheredatione habetur, ita parentes quoque à liberis instituendi vel exheredandi, pro exheredatione illorum sola valeat præteritio *L. 5. D. de Inoff. Test. & Nov. 115. c. 4 Sand. lib. 4. Tit. 2. def. 4.*

## X V I I.

Extra Institutionem vel exheredationem necessariam, Institutione extraneorum quorumcunque heredum pro arbitrio testatoris sit, modo cum iis sit Testamenti factio passiva. *§. 4. Inst. de hered. q. & diff.*

*l. 49.*

## 8 D I S P U T A T I O J U R I D I C A

*I. 49. §. 1. de hered. Instit.* Licit sint ignoti & incerti modo possint certi fieri. *§. 25. de legat.* *§. ult. Instit. de hered. instit.* Et sic Civitas, Collegia, pauperes recte instituuntur *I. 8. & 12. Cod. de hered. instit. I. 24. 28. 49. C. de Episc. & Cleric.* Imo & posthumus alienis. *§. 28 Instit. de legat. adde Bronch. Cent. 3. Q. 62. Carpz. p. 3. Canstit. 9. def. 14.*

### X V I I I.

Institutio heredis potest fieri vel in universa hereditate, vel in re certa & tunc non minus ex aſſe heres est Institutus, quam priori caſu. *§. 5. Instit. de hered. Instit. & §. 3. Q. M. T. infirm.* Intellige tamen hoc ſi ſolus ſi Institutus. *I. 1. §. 4. I. 9. §. 13. I. 74. D. de hered. Instit.* Sin ipſi coheres datus, vel indefinite aut etiam ex parte hereditatis, ille non heres ſed legatarius eſt. *I. 13. C. de hered. Instit. adde Vinn. 2. Sel. Quæſt. 22. in pr.*

### X I X.

Inter plures heredes coniunctim Institutos occurrit ius accrescendi, ſi quidam ex illis defecerint. Quæ coniunctio tripli modo fieri potest. *I. 142. de verb. signif. adde §. 8. Instit. de legat. Imprimis I. unic. §. 10. C. de Caduc. tollend.* ubi ab Interpretibus dubitatur an etiam in verbis tantum coniunctis locum habeat illud ius, quod communiter negatur per *I. 66 D. de hered. Instit. I. 20. D. de legat. 2. addefachin. 5. controv. 50.* Sed distinctione potest haec lis ſoperi. *Don. 7. comment. 13.* Hoc ius Accrescendi Testamento ſimpliciter non potest prohibere, potest tamen certo modo & per indirectum, dando vacaturis ſubstitutos. *Fackin. 4. controv. 15. & Vim 2. Sel. Quæſt. 22.*

### X X.

Institutio heredis potest fieri vel pure vel ſub conditione *§. 9. Instit. de Hered. Instit.* Et extranei quidem ſub conditione vel casuali vel arbitria vel mixta: Liberi vero & parentes ſaltem ſub potestativa *I. 4. pr. & §. fin. D. de hered. Instit. I. fin. D. de condit. Institut.* Impossibilis institutionem non vitiat ſed pro non ſcripta habetur *§. 10. Instit. de hered. instit.* Contra quām perplexa *I. 16. D. eod.* Hic occurrit quæſtio notabilis an liberi in conditione poſiti in diſpoſitione quoque poſiti ceneſantur, quod nos negamus per *I. 8. Dig.* Si quis omiſſa cauſa *Test. I. 16. D. de vulg. & pupill. ſubſtit. adde & Schotan. in exam. jur. ad Tit. D. de condit. Instit. Q. ult. per I. 1. C. de paſt. adde & Gail. 2. obſerv. 136. n. 18. Sand. lib. 4 Tit. 6. def. 5. Perez. C. de Instit. & ſubſtit. n. 13.*

### X X I.

Subſtitutio (quo ſupra diximus Institutionem heredis fieri ſecundo

do vel ulteriori gradu) est vel vulgaris vel pupillaris vel quasi pupillaris sive exemplarlis vel militaris. Circa quas species notanda diversitas casum. Casus autem est eventus, in quem substitutio conferatur eorumque duo sunt generales, duo speciales. Vulgaris fit à quovis, cuivis, etiam à muliere in casum primum non existentiae vel si heres non erit. Qui casus generaliter positus comprehendit tam casum noluntatis quam impotentiae. Si tamen in unum casum verb. grat. impotentiae expressè facta sit, non extenditur ad alterum si noluerit. l. 21. D. de vulg. & pupill. substit. Fachin. 4. cont. 61. Schor. in exam. jur. ad Tit. D. de vulg. & pup. substit. Ques. st. quid si substitut. cum seq. Vulgaris hæc substitutio extinguitur adita hereditate.

## X X I I.

Pupillaris fit liberis impuberibus qui sunt in potestate substituentis, tam substitutionis, quam mortis tempore. Ergo non à matre. Hæc fit in casum secundum existentiae & mortis intra certum tempus verb. grat. pubertatis, quippe qua finitur, nec ultra id tempus si fiat in vim fideicommissi valet §. ult. Inst. de pup. substit. l. 7. D. de vulg. & pup. subst. nisi clausula codicillaris sit inserta. Carpz. p. 3. constir. 8. def. 19. Schor. in exam. jur. addict. Tit. de pup. substit. Quest. si manus. Quod in pupillari singulare est fieri etiam potest exheredatis §. 4. Inst. de pup. substit. junct. l. 6. de injusto rupio & §. 7. Inst. de hered. ab intestato sicut & tutoris Testamentarii datio §. 3. Inst. de Tute. De utraque & vulgari & pupillari nota, quod fiant vel expressè vel tacite, ita ut expressa vulgaris tacitam pupillarem, & vice versa expressa pupillaris tacitam vulgarem contineat l. 4. D. de vulg. & pupill. substit. l. 4. C. de impub. & aliis substitut. Don 6. comment. 26.

## X X I I I.

Quasi pupillaris fit quasi pupillis id est furiosis aut mente captis tam à patre quam à matre, in tertium casum si in furore seu mente captus decesserit. Et hæc fit non nisi certis personis in locum deficientis substitutis de quibus §. 1. Inst. de pup. substit. finiturque mente capti resipiscientia l. 9. C. de impub. & al. substit. Militaris denique fit heredi etiam sana mente prædicto ultra pupillarem ætatem in casum quartum quandocunque decesserit Institutus aut etiam si prius decesserit, quam ad legitimam ætatem pervenerit l. 5. & §. 41. §. 4. D. de Test. milit. Quæ privilegio militari valet, & in paganis non obtinet. l. 15. §. pen. D. de Test. milit. Perez. C. de impub. & al. substit. n. 27.

## X X I V.

Hujus occasione breviter hic nobis de militari Testamento ejusque

## 10 DISPUTATIO JURIDICA

singularibus quædam addenda: Quia & hoc referendum dixi sup.  
 Th. XII. inter privilegiata. Unde & vulgo dicitur miles, quatenus  
 in expeditione & in numeris existit testatur quomodo vult & quo-  
 modo potest: sano sensu: Namque (1) constare debet de ejus vo-  
 luntate (2) de herede certo (3) requiruntur in nuncupativo ejus Te-  
 stamento duo ad minimum testes, quamvis non rogati. Præter hæc  
 singularia in eo sunt (1) quod potest decedere cum pluribus Testa-  
 mentis l. 12. D. de *Test. milit.* (2) simul testatus & intestatus §. 5. *Inst.*  
*de hered. inst.* (3) ejus scientis se habere liberos præteritio habetur  
 pro exhereditatione. §. 6. *de exhered. lib.* (4) ejusdem Testamentum  
 non subjacet quærelæ inofficiosi. l. 8. §. 4. l. 27. §. 2. D. de *inoff.*  
*Test. l. 24. C. eod.* (5) ante militiam factum non jure convalescit acce-  
 dentie quodam facto, dum militat. l. 20. §. 1. *de milit. Test.* (6) per  
 capitis deminutionem non fit irritum §. 5. *Inst. de milit. Test.* (7)  
 Tempore militæ factum post missionem intra annum adhuc valet  
 §. 3. *Inst. de milit. Test.* (8) mutus & surdus miles testari potest ante  
 missionem. l. 4. D. & §. 2. *Inst. de milit. Test.* & quod dictum (9)  
 potest militari privilegio substituere in quartum casum.

## X X V.

Testamenta jure subsistentia interdum quadam ex causa infirman-  
 tur, vel ipso jure, vel sententia Judicis. Ipso jure (1) quando rum-  
 puntur scil. agnatione sui heredis vera vel quasi §. 1. *Q. M. T. Infir.*  
 quo pertinet & arrogatio vel adoptio, & legitimatio filii naturalis  
 post factum Testamentum §. 2. *Inst. de heredit. ab Intest. Nov.* 89.  
 c. 8. & 9. Item posteriori Testamento, jure perfecto, licet non exti-  
 terit ex eo heres, licet etiam in posteriori Testamento sit scriptus he-  
 res certarum rerum §. 2. & 3. *Inst. Q. M. T. I.* Non vero nuda vo-  
 luntate aut revocatione §. 7. *Inst. Q. M. T. I.* & l. 27. C. de *Test.*  
 Quamvis nuncupativum Testamentum coram Notario & testibus re-  
 vocetur vel aliud Testamentum jure fiat. Hic quæritur: an si priori  
 Testamento *Clausula derogatoria inserta*, cuius in posteriori non  
 facta mentio, an posterius perfectum nihilominus prius tollat quod  
 affirmatur. Nemo enim sibi legem dicere potest à qua non recedat  
 l. 22. ff. *de legat. 3. l. 3. Qui Test. fac. poss. Sand. lib. 4. Tit. 1. def. 10.*  
*Carp. p. 3. constit. 5. def. 19.*

## X X V I.

Rumpi quoque dicitur Testamentum volente testatore rescissione,  
 resignatione ac deletione prioris Testamenti, consulto, non casu facta  
 Tit. D. *de his quæ in Test. delent. l. ult. ff. de injusto rupto. l. pen. C de Test.*

Dantur

## I N O A U G U R A L T I S.

ii

Dantur tamen casus, quibus prius solenne Testamentum posteriori minus solenni rumpitur. v. grat. si in posteriori scripti fuerint ab intestato successuri l. 21. §. 3. & l. 27. C. de Test. Item si post confectionem Testamenti decennium lapsum, & Testator professus sit coram tribus testibus vel actis, se non velle ut prius Testamentum valeat.

### X X V I I.

Interveniente officio judicis querela inofficiosi Testamenti morta vel à liberis vel à parentibus vel certo casu à fratribus & sororibus germanis vel consanguineis l. 27. C. de inoff. Test. rescinditur Testamentum quoad institutionem heredis, contra quem datur, reliquis capitulis salvis iit. inst. ff. & C. de inoff. Test. circa quam Justinianus multa correxit & innovavit Nov. 115. c. 3. 4. 5. ant. ex causa C. de lib. prater. ejus hodie non minor quam olim usus superstes. Cessat tamen quibusdam casibus §. 2. inst. b. rit. Imprimis si legitima titulo institutionis §. ult. inst. cod. vel tota vel ejus pars exheredato aut præterito relictæ §. 3. inst. l. 30. C. eod. Quo posteriori casu ad supplementum agitur condicione ex l. 30. C. de inoff. Test. Nov. 115. c. 2. Quæ non ut querela quinquennio præscribitur sed perpetua est l. 3. C. de præscript. 30. ann. Et quamvis non præparata à defuncto transit ad heredem neque extinguitur agnitione ejus quod Testamento relictum: contra quam in querela fit l. 35. §. 2. C. de Test. inoff. Gail. 2. obs. 220. Mynsing. 1. obs. 30.

### X X V I I I.

Ad Testamenti executionem & consummationem requiritur acquisitio hereditatis circa quam observandum, quod hodie omnis acquisitio hereditatis sit voluntaria. Et per eam heres continuet successionem in omnia jura testatoris ut sup. Th. 1. dictum. Et hinc aditio hereditatis inter quasi contractus refertur §. 5. inst. de obl. ex q. Contr. Dico in omnia jura: Quia quæ facti sunt non nisi apprehensione possessionis acquiruntur l. 23. D. de acquir. poss. nec transiunt in heredem, quæ personæ defuncti cohærent, & cum ea extinguntur v. gr. ususfructus, exceptio competentiæ l. 7. D. de except. l. 24. de re judic. & similia.

### X X I X.

Hereditas semel quæsita amplius repudiare nequit l. 4. C. derepud. heredit. Nec pro parte fieri potest. Unde nec filius paternam hereditatem servata sibi legitima repudiare pro reliquo potest. l. 1. & 2. de acquir. heredit. Ne itaque temere fiat aditio hereditatis

12 DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS.

duo beneficia jure constitutionum introducta jus deliberandi & inventarii conficiendi §. 5. *inst. de hered. qual. & diff.* Quorum posteriorius longè pinguius & tutissimum *l. fin. §. 4. C. de jure delib.* Si quidem inventario confecto non ultra vires hereditarias tenetur heres, nec actiones contra defunctum amittit. *l. 95. D. de solution.* Cum contra eodem omisso, beneficium legis falcidiæ & Trebelianicæ detrahendæ amittit, non tamen legitimam, si filius aut pārens sit. *l. fin. §. 11. C. de jure delib.* & *Nov. 1. c. pen.* cum sit jure Naturæ debita & petatur tanquam æs alienum.

X X X.

De Codicillis pauca subjecere lubet si quando à Testatore vel in Testamento vel ante vel post Testamentum fiunt, Testamenti sunt accessorium. *l. 5. D. de jure Codicill.* Unde qui non potest Testamentum facere, ne quidem Codicillos potest *l. 6. §. pen. l. 8. §. Codicilli D. de jure Codicill.* Cum autem ab Intestate fiunt, vicem Testamenti exhibent. Unde & dicuntur Testamentum imperfectum *l. ab intestato 16. D. de jure Codicill.* In his nulla solennitas ordinationis sed tantum probationis requiritur *§. ult. inst. de Codicill. & l. ult. in fine eod.* In confirmatis Testamento nec hac opus est quippe quibus sustinendis sufficit etiam ipsius Testamenti solennitas *l. ult. §. ult. C. de jure Codicill.*

X X X I.

De Clausula Codicillari (quæ magis ex stylo & consuetudine Notariorum adhiberi solet quam ex certa voluntate Testatoris,) quaeritur; Num addita imperfecto Testamento semper & per omnia illud salvet & suppletat. Et distinguendum putamus inter Testamenta invalida & imperfecta respectu accidentium & solennitatum & inter ea, quibus substancialium aliquid deest. v. gr. (1) Si forte in voluntate defuncti defectus vel obscuritas deprehendatur vel (2) Si forte eveniat ut non audeatur hereditas *l. 14. C. de fideic. l. 181. de R. f.* vel. (3.) Si liberi fuerint præterit aut injustè exhereditati ut propterea Testamentum sit rescindendum *l. 1. & 17. D. de injust. rupt. & l. 25. D.* Qui *Test. fac. poss.* Quibus posterioribus casibus omnibus nihil potest clausula illa Codicillaris adeo Perez. *C. de Codicill. n. 6.*

F I N I S.